





1928 K 944


374

LG 1183

DE

MORIBVS HOMINVM ANTE DILVVIVM

AD LOCVM GENES. VI. I-4.



DISPVATIO EXEGETICO THEOLOGICA

QVAM

PRAESENDE

FRANCISCO VOLKMAR

REINHARD

THEOLOGIAE DOCTORE HVIVSQVE PROF. PVBL.
ORD. PHIL. PROF. PVBL. EXTRAORD.

AD DIEM V. AVG. A. C. MDCCCLXXXIII.

ENUMERO EORVM


QVI PRIVATIM SCRIBENDO SE AC DISSERENDO EXERCENT

PVBLCICE DEFENDET

AVCTOR

M. CAROLVS FRIDERICVS STEIN.

GRAEFFENHAYNENSIS.



VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL

1773

509

FRANCISCO VOLKMAR

REINHARD

THEOLOGICAL DOCTOR

AND DEAN OF THE

UNIVERSITY OF

WÜRZBURG

BY

JOHANNES

WÜRZBURG

PRINTED

BY

AND

SOLE

BOOKSELLERS

IN

WÜRZBURG

AND

FRANKFURT

AM



VIRO MAGNIFICO
SVMME VENERABILI
AMPLISSIMO DOCTISSIMO
D. IOANNI GODOFREDO
HERMANNO

THEOLOGO CELEBERRIMO ELECTORIS SAXO-
NIAE IN SENATV ECCLESIASTICO ET CONSISTORIO
SVPREMO CONSILIARIO ET CONCIATORI
AVLICO PRIMARIO

NEC NON

VIRO MAGNIFICO
SVMME VENERABILI
AMPLISSIMO DOCTISSIMO
D. IOANNI FRIDERICO
REHKOPF

THEOLOGO EXCELLENTISSIMO SENATVS EC-
CLESIASTICI ASSESSORI DIOECESIS DRESDENSIS SV-
PERINTENDENTI PASTORI PRIMARIO SCHOLA-
RYMQVE DRESDENSIVM EPHORO

DOMINIS AC PATRONIS
AETERNVM DEVENERANDIS

HOC
PRIMUM SPECIMEN ACADEMICVM
TANQVAM SVMMAE PIETATIS ANIMIQVE
GRATISSIMI
DOCUMENTVM
SACRVM ESSE VOLVIT
SVMMORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
M. CAROLVS FRIDERICVS STEIN.



Quum animum appelleremus ad scribendum, sumenda nobis videbatur materia ejusmodi, quae tum opera nostra non prorsus indigna, tum personae et viribus nostris, quas sentimus, quam sint exiguae, aliqua certe ex parte aequa foret atque conueniens. Cui consilio optime satisfacturi videbamus, si locum apud Mosen adiremus eum, *quo notantur hominum, qui ante diluuium vixerunt, mores ingeniumque.* Quanquam enim probe scimus, hunc locum a multis satis docte accurateque esse pertractatum, nobis tamen persuasum est, superesse adhuc quaedam in eo, quae vberiori indigeant illustratione, adeoque non superuacaneam fore, quam illi impendere decreuerimus, operam. Atque si personam, quam nos agimus, consideramus paullo accuratius, non est, quod dubitemus, quin hoc argumentum isti sit accommodatissimum. In quo enim magis nostris praesertim temporibus ei, qui eruditionem theologicam sibi comparare studet, elaborandum



dum est, quam in eo, vt libros diuinos rite discat interpretari, et philosophiae operam nauet indefessam, qua sine nec isto officio fungi poterit satis feliciter. Quam aequum denique virium nostrarum imbecillitati sit hoc institutum, penes aequos huius rei arbitros esto iudicium.

Quod autem de vitiis moribusque generis humani ante diluuium quaerere instituimus, id etiam propterea factum est, quod nuper, cum legeremus eruditissimum librum^{a)}, qui continet *historiam culturae generis humani*, hac de re cogitare, et narrationem Mosaicam relegere coepimus paullo diligentius. Etenim cum videremus, auctorem eius libri, qui est, vt satis constat, ADELVNGIUS, *Vir. Cel.* de moribus hominum ante diluuium nonnulla disputare, a populari communique opinione abhorrentia: placuit, ipsum locum Mosaicum, ad quem hac in causa redeunt omnia, vberius tractare. Solent autem vulgo *de impietate et contemptu omnis religionis* intelligere, quae Moses commemorat, atque existimare, eam impietatem cum summa crudelitate fuisse coniunctam. Secus videtur ADELVNGIO, qui negat, eam insaniam audaciamque, quae omnem religionem publice contemnat et eiuret, cadere in homines feros ac barbaros, quales eo tempore fuerint orbis terrarum incolae. *Superstitionem* potius et *idololatriam* istorum hominum ingenio et aetati accommodatam esse putat, nisi aliquid sumere velis, quod cum animi humani natura et modo, quo sensim excolitur, manifeste pugnet^{b)}. Cum igitur ad illustrandam hanc rem requirantur duo, primum hoc, *vt quid Moses hac de re tradat, legitima interpretatione doceatur*; deinde *vt quaeratur, vtrum religionis Deique*
con-

a) Inscribitur liber iste: *Versuch einer Geschichte der Cultur des menschlichen Geschlechts*, et prodiit Lipsiae, anno superiori.

b) Conf. Sect. I. §. 25. pag. 40. sqq.

contentio fuerit ab ista aetate aliena, sit nobis libellus ita descriptus, vt primo quidem loci Mosaici, qui est Cap. VI. 1-4 verba enarremus; deinde per hanc expositionem efficiamus, quid Moses de moribus et vitiis istorum hominum tradat; doceamus denique, istam narrationem Mosis a natura mentis humanae, et a ratione, qua solet excoli et conformari, minime abhorrere.

Quod primo ad expositionem horum verborum attinet, in locis paulo difficilioribus atque ambiguis non omnium quidem, potiorum tamen interpretationem et interpretationes afferam, ac deinde, quae mihi saltem maxime probetur, ostendam pluribus. Ad primum itaque versiculum me statim conuerto, vbi *de aucta hominum, praesertim puellarum, copia verba facit Moses.* Qui locus cum fere nihil habeat difficultatis, pauca tantum vel obiter attigisse sufficiet. Ac primo quidem **הארם** vtrum *de vniuerso genere humano, an de deteriori eius parte* accipiendum sit, quaerunt interpretes. CLERICVS in commentario ad h. l. *Caini subolem* subindicari putat, quoniam de sequiori eius sexu in sequentibus sit sermo; ego vero *omnes*, qui isto tempore vivebant, *homines* intelligendos existimauerim, quod hi creuisse dicuntur **על-פני הארמה** *in orbe terrarum*, quem praeter Caini gentem inhabitauit etiam Sethi posteritas. Formula **בנות ילדו להם** autem ad *auctam sensim puellarum multitudinem* pertinet. Hic autem tenendum est, eam rem a Mose commemorari eo nomine, vt indicetur, antea *optionem non habuisse locum*; cum vero maior in dies fieret mulierum copia, sensim coepisse viros his adeo delectari, vt quae ipsis maxime placeret, eam ducerent vxorem, et in ea re non necessitati obsequerentur, vt antea in feminarum paucitate, sed iam *voluptati se darent*, fierentque delicatiores. Hoc quam vim habuerit ad corrum-
pendos



pendos mores et extinguendam pietatem, vberius demonstrat Mofes v. 2. Verbum מראי cum ἐπιτάσει quadam reddendum: *auide spectabant*. Hanc vim habet Cap. III. 6. et βλέπειν Math. V. 28. Ita fere OVIDIUS *Metam.* L. VI. v. 478.

Speclat eam Tereus, praecontrectatque videndo.

Quae nunc sequuntur verba, בני אלהים, ea ambigua sane et paullo difficiliora sunt, vnde veterum pariter atque recentiorum ingenia valde exercuerunt; quod probant illae toto caelo a se invicem diuersae interpretationes. Quam veterum nonnulli ex hoc loco fabulam de *angelis* siue bonis siue malis, rem habentibus cum feminis, exsculpsérint, paucis iam indicabo. Primo expressam legimus eam in *Codice Alexandrino* versionis τῶν ὁ, qui pro υἱοὶ Θεῶν habent: ἄγγελοι Θεῶν. Hanc e *Iudaicis* repetierunt IOSEPHVS ^{c)} et PHILO ^{d)}, quorum somnia si cui volupe sit accuratius cognoscere, auctor sim, vt ipsos adeat. Verum et *Patrum*, quos vocant, Graecorum atque Latinorum permulti v. c. IUSTINVS *Martyr*, TERTULLIANVS, LACTANTIUS, alii, hanc opinionem tuentur, imo ipsis persuasum est, vitium illud, quod apud *Iudam* Ep. v. 6. angeli, μὴ τηρέσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρεχὴν, commississe dicuntur, cerni in quadam eorum cum feminis humanis commercio. In fingendis autem eiusmodi fabulis IUSTINVS *Martyr* eo progreditur, vt asserere audeat, ex ista angelorum cum feminis humanis consuetudine ortam esse *malorum daemonum* gentem. Ita enim diferte ait ^{e)}: οἱ δ' ἄγγελοι παραβάντες τὴν τὰξιν, γυναικῶν μίξασιν ἠττήθησαν, καὶ πάλ-

c) Orig. *Iudaic.* L. I. C. 3.

d) De *Gigantibus*, p. 284.

e) In *Apologetico* L. II. Cap. 5, pag. 92. edit. Benedicti. Quam opinionem etiam TERTULLIANVS habet in *Apologet.* C. 22. et pluribus ornauit

πᾶδας ἐτέκνωσαν, οἱ εἰσὶν οἱ λεγόμενοι δαίμονες. Quas icu-
 nas interpretationes, peruersasque de natura mentium opinio-
 nes copiose et eleganter confutat THEODORETUS in *Quaest.*
 ad h. l., qui paulo *stupidiores* appellat eos, qui angelis affin-
 gant aliquid, quod in eorum naturam, quae sit omnis expers
 concretionis, minime cadere possit. Magis ea expositio arri-
 det, quam ibi pro istis somniis substituit THEODORETUS
 ipse. Εκεῖνοι τοίνυν, inquit, ὡς εὐσεβεῖς ἠνομάσθησαν υἱοὶ τῆ
 Θεοῦ ὧν. Quam potestatem etsi argumentis demonstrat non
 admodum probabilibus; ea tamen videtur esse optima, et
 consuetudine loquendi bene confirmari. Sunt enim בני
 הים Dei cultores, illi, qui religioni addicti sunt, et ali-
 quam venerantur vim ac naturam Dei. Haec ipsa autem
 verba eo modo, quo nos hic accipimus, licet alibi non oc-
 currunt, tamen ii, qui vanā Numina colunt, describuntur
 a prophetis, Ieremia praesertim, eiusmodi verbis, quae no-
 stris aequiparanda sunt, ac prorsus eandem habent potesta-
 tem. Conf. Ier. II, 27. Num. XXI, 29. Hof. II, 6. 7. Ea-
 dem quoque imagine Iesaias Cap. I, 2. et Moses Deut. XIV,
 v. de Israelitis vtuntur, quos *Dei filios* propterea appel-
 lant

ATHENAGORAS in *Legat. pro Christ.* C. 24, 25. pag. 302. 303. Addi
 potest *Fragmentum libri Enoch* apud FABRICIUM in *Codice Pseude-*
pigr. V. T. pag. 166. 167. Similes etiam sunt Rabbiorum fabellae,
 quas latius perlequitur EISENMENGER in libro: *Entdecktes Juden-*
thum. Part. II. C. 8.

- f) S. V. DATHIUS in animadversionibus ad Cap. IV. 26. ex quo loco
 formulam nostram illustrat, cum THEODORETO eos intelligit, qui
Deum Adami profitebantur atque colebant, in quo recte ac praeclare
 disputat; si vero ad rem suam confirmandam locum illum Luc. III. 38.
 excitat, in eo lapsus videtur. Vocatur enim ibi Adamus non eam ob
 causam *filius Dei*, quoniam fuit *vir probus et integer*, sed quod *ab ipsa*
Deo conditus fuit, humanum vero patrem non habuit.



lant, quod Iehovae sacri erant et quasi additi. Sic
 pii et sectatores Dei in N. T. dicuntur υιοι τῷ Θεῷ, τὰ
 τέκνα τῷ Θεῷ Matth. V, 9. Luc. VI, 35. Gal. II, 6. Eph. V, 8.
 quod colunt Deum, ad hoc tantum exemplar suos mores com-
 ponunt, ac vicissim propitium Dei fauorem experiuntur. Iam
 facile intelligitur, quinam sint, qui his opponuntur, בני הָאָדָם,
 homines scilicet profani, a cultu diuino alieni, suasque
 non nisi humanas existimantes origines. Veram esse, quam
 his verbis subiecimus, potestatem cum ex orationis serie,
 tum ex linguae indole in locis Pf. XIV, 2. coll. Malach. II, 11.
 Ier. II, 27. satis luculenter apparet. In N. T. formula, quae
 huic ex asse respondeat, nulla quidem legitur; ii tamen, qui
 Luc. XVI, 8. υιοι τῷ αἰῶνος τῶν ἀνθρώπων appellantur, videntur vere
 iidem esse, nempe homines, qui rebus humanis vix intenti,
 Deum resque diuinas prorsus negligunt. Atque hunc reli-
 gionis contemptum commune fere generis humani vitium
 fuisse ante diluuium, non modo ex hoc loco manifestum est,
 si intelligitur, vt jam diximus: verum id etiam demonstrat gra-
 uissima ipsius Domini explicatio Matth. XXIV, 38. *) Senten-
 tiam igitur huius loci hanc esse puto: cultores Dei coepisse per
 affinitates coniungi cum iis, qui omnis religionis essent ex-
 pertes. Verbum כּוֹרֵן autem, quod extremo versiculo legitur,
 proprie notat eligere, vti satis constat. Quum vero ea, quae
 e reliquis selegimus, amore soleamus complecti, vnde et di-
 lecti nomen habent: nactum est verbum vim eam, vt sit:
 amare, diligere. Sic occurrit Pf. XXV, 12. Ies. XLII, 1. cet.
 Nec praetermittendum videtur, ex ista interpretatione lucem
 capere haud exiguum locos N. T. eos, vbi vocabula ἐκλέ-
 γουσι,

g) Ex his patet, Hebraeos tres habere appellationes, quas a Deo ductas
 hominibus tribuere soleant. Alios enim dicunt Filios Dei, h. e. veros
 Numinis cultores, alios Dei peregrini filios, qui sunt imaginum cultores,
 alios denique filios hominum, quo pravi indicantur et profani homines.

γενεθαι, ἐκλογῆ, ἐκλεκτοί, et id genus alia, vsurpantur. Videtur itaque Mosès haec fere narrare: *Quum coepisset genus humanum in orbe terrarum augeri, et puellarum maior fieri copia; ii, qui adhuc Numen colebant, capti feminarum pulchritudine earum, quae omnem religionem eiuraverant, has potissimum duxerunt uxores, in eo non tam id sequuti, quod pium videretur et utile, quam quod amor suaderet et caeca libido.*

Iam videamus, quam vim habeat versiculus tertius, ubi Mosès Deum ita loquentem inducit, vt, quid sibi de istis hominum moribus videatur, graviter enarret. Et prima statim huius versiculi verba לא ירון רוחי cum nonnihil difficultatis habeant, a nobis non sunt praetermittenda silentio. GROTIUS in animaduers. ad h. l. auctoritatem LXX. Interpretum sequutus, qui vertunt: (μή καταμείνη^h), siue, vt vetus liber habet, οὐ καταμείνει, deducit ירון a radice נרן, quae in vagina esse notat; רוחי vero de animis, hominibus a Deo concessis, explicat, vt sit formulae integrae sensus: *haud diutius animi isti, a me dati, inclusi quasi maneat in his hominibus.* Sed hanc explicationem, quae iam nonnullis Rabbini^g placuit, incommodam dixerim, cum de animis humanis nunquam in singulari dicat Deus רוחי; eam etiam vehementer ridet LUTHERUS in *Commentario Opp. Tom. I. pag. 682. edit. Walch.* Nos facimus cum SYMMACHO, qui vertit: ἡ γενεὴ τὸ πνεῦμά μου τῶν ἀνθρώπων. Verbum enim ירון vim reprehenden-

B 2

^h) Antiquiores interpretes fere omnes verbum ירון manere explicant, vti bene obseruauit S. R. DATHIUS ad h. l. Quam nisi admittere quis velit interpretationem, statuat necesse est cum CLERICO, antiquissimos interpretes legisse ירון a נרן; verum ea immutatione non opus est, cum verbum נרן, si recte intelligatur, commode stare possit.

^g) Vid. ABEN ESRA in *Comment. ad h. l.*



prehendendi et altercandi habere, patet statim e nomine מרר, quod de rixis et altercationibus saepe dicitur; vt Pf. LXXX, 7. Ier. XV, 10. Verbum autem etiam a Chaldaeis et Syris sic vsurpatur. Vid. Thargum Ionathanis ad Genes. XXXI, 36. et Act. XI, 2. in vers. Syr. Ita fere verbum κελειν etiam in N. T. occurrit de disceptatione forensi. Vid. 1 Cor. VI, 1. et 6. Act. XXV, 9. Iam vero de potestate nominis מרר pauca adicienda sunt. Notum igitur est, a plurimis interpretibus hoc ad verbum reddi: *spiritus meus*, sed quis sit ille Dei spiritus, saepe vel ipsi nesciunt. CLERICVS, alique de *vita hominibus a Deo concessa* intelligunt, provocantes ad vsu linguae in locis Ezech. XXXVII, 5. 6. 8. et Pf. CIV, 29. qui licet partim de vita in genere, partim de vi Numinis vitam rebus spiritumque tribuente, explicari possunt, nostrum tamen loco parum accommodata videtur haec significatio, quod hic non simpliciter מרר ponitur, sed additur suffixum י, quod ad *Deum* referendum est. Optime igitur, vti mihi certe videtur, מרר hic intelligitur *de viris diuinis, qui a Deo excitati in corrigendis emendandisque hominibus perditis eo tempore operam ponebant*. Hanc hebraice loquendi consuetudinem optime potest Iohannis locus illustrare in epistola prima Cap. IV, 1. vbi monet apostolus, non esse credendum et obtemperandum παντί πνεύματι, sed examinandum diligenter, vtrum τὰ πνεύματα sint ἐκ Θεῶ. Res ipsa et omnis oratio docent, πνεύματα hic esse eos, qui arrogant sibi dignitatem et honores oratorum diuinorum; vnde statim adicit apostolus, ὅτι πολλοὶ ψευδοπροφήται ἐξεληλύθασιν εἰς τὸν κόσμον, et v. 2 et 3. signum aliquod et notam manifestam indicat, qua iudicari possit πᾶν πνεῦμα, et intelligi, vtrum, qui dicat, se diuino afflatu excitari, fide sit et hominum cultu dignus nec ne. Sic etiam Pauli verba 1 Tim. IV, 1. τὸ πνεῦμα

μοι

μα ρητῶς λέγει de prophetis eorumque oraculis accipienda
 sunt; conf. Act. XIII, 2. et inprimis Cap. XX, 23. vbi verba
 τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κατὰ πόλιν διαμαρτύρεται omnium pro-
 phetarum, quos in itinere suo passim audierat Paullus, prae-
 dictiones indicant, quibus ipsi portendebantur vincula. Ex
 his et aliis locis facile est ad intelligendum, ΠΠ, vbi de Deo
 dicatur, interdum significare oratores ab ipso missos ad ge-
 nus humanum, et singulari modo excitatos. Quae potestas
 verbi hunc locum pulcherrime illustrat, cuius sententia est: non
 aeternum frustra reprehendant oratores mei corruptum
 hoc hominum genus. Nec est haec expositio ab istorum tem-
 porum indole aliena. Nam praeter Noacum, quem hic ma-
 xime intelligendum esse e versu 9. et 2 Petr. 11, 5. apparet,
 plures alios fuisse, qui corruptos seculi mores cum verbis,
 tum factis corrigere studerent, vel inde admodum verosimile
 est, quod ex historia scimus, ante Christum omni tempore
 fuisse, qui diuino quasi Numine afflati in eo elaborarent, vt
 pietatis studium languescens incenderent et alerent. Noacum
 quidem, quem, vt iam obseruauimus, Apostolus appellat δι-
 ναροσύνης κήρυκα, verae pietatis magistrum, istius aetatis
 homines ad emendandos mores et vitam rectius instituendam
 cohortatum esse, non sine graui comminatione imminentis
 supplicii, etiam IOSEPHVS demonstrat Orig. L. I, C. 3. ὁ δὲ
 Νώεος, inquit, τοῖς κραττομένοις ὑπ' αὐτῶν δυσχεραίων, καὶ
 τοῖς βεβλήμασιν ἀνδρῶς ἔχων, ἔπειθεν ἐπὶ τὸ κρείττον αὐτῆς
 τὴν διάνοιαν καὶ τὰς πράξεις μεταφέρειν. Idem iam antea
 Enochum fecisse, Iudas auctor est in epistola v. 14. — Ad-
 iungitur iam causa huius decreti diuini, quae et ipsa ita ex-
 ponitur, vt in verbis insit nonnihil obscuritatis. **בשׁו** igitur,
 quod a radice **בשׁ**, errauit, optime deriuatur, est infiniti-
 uus Piel cum suffixo **ו**, et proprie vertendum: in errore suo.



Iam vero, ut apud Latinos *errare* saepe idem est, quod *peccare, delinquere*; ita etiam verbum hebraicum aliquoties in litteris sacris hanc vim habet, ut Prov. XX, 1. Iob. VI, 24. et 2 Petr. II, 15. in *vers. Syr.* Hanc ob causam parum recte illud per particulam causalem explicare videntur antiqui interpretes. Nec repugnauerim, si quis hos errores *de vaga istorum hominum libidine* intellexerit, quae matrimonii vincula perfringens cocco ruebat impetu. Nam talem licentiam non modo ea indicant, quae paulo ante v. 2. commemorauerat scriptor diuinus: sed solet etiam saepe cum ea morum feritate, quae his hominibus tribuitur, esse coniuncta. Vocabulo כָּשֶׁר autem, quod h. l. occurrit, CLERICVS cum multis aliis, praesertim recentioribus, vim eam subiecit, quam in scholis Dogmaticorum solet habere, qui *de corrupta et imbecilli hominis natura* intelligunt. Quam vim etiam non negauerim esse Hebraeis valde vsitatam, hoc tamen loco praeferranda mihi videtur ea, qua significat *homines voluptati deditos et ad ventrem proiectos, qui praeter ea, quae ad sensus suauiter affluunt, et corpus titillant, nihil appetunt, nihil sequuntur.* Talem vim ipsa postulat Mosis oratio, qui de *voluptate istorum hominum* iam antea dixerat. Nec linguae vsum nostrae interpretationi repugnare, facile potest doceri. Hebraei, quod voluptatis notionem huic verbo lubenter subiiciunt, ipsa *pu-denda* solent per Charentisimum ita appellare, vid. Ezech. XVI, 26. Leu. XV. 3. Et in N. T. nomen *αἰσχροῦς* de hominis natura, *ad voluptates procliu* tam saepe dicitur, ut lectorum eruditioni videremur diffidere, si in demonstranda hac re vellemus esse copiosi. Conf. si placet, S. V. TELLERI librum, quem de difficilioribus verbis N. T. scripsit, pag. 144. sqq. Vnde haec verba ita intelligenda sunt: *Non aeternum, inquit Iehoua, elaborare possunt viri diuini in reprehenden-*
dis

*dis his hominibus, in quibus, cum nonnisi coeca ducantur
 libidine, opera perditur et oleum.* Verbis, quae sequuntur,
 ימי יהוה sunt, qui existiment, Deum minari hoc, *vitam ho-*
minum ex isto tempore fore breviorum. Cuius quidem sen-
 tentiae auctor extat IOSEPHVS, qui eam *Antiquit.* L. I, cap.
 3. §. 2. hisce verbis exponit: *ἐπιτεμόμενός τε αὐτῶν τὸν βίον,*
καὶ ποιήσας ἐτῶν ἕξ ὅσα πρότερον ἔζων, ἀλλ' ἑκατὸν εἰκόσω,
εἰς θάλασσαν τὴν ὑπεῖρον μετέβαλεν. Verum reiiciendam
 illam esse duplici de causa existimo, partim, quod non statim
 ex eo tempore, quo Deus haec a scriptore diuino decreuisse se-
 cum dicitur, coepit isto annorum termino cohiberi humana
 aetas; ex historia enim illorum temporum patet, Noacum
 mille fere annos vixisse, vid. Gen. IX, 28. et postea plures fuisse,
 qui spatium ducentorum annorum superarent, vt iam recte
 obseruauit *Aben Esra* in Comment. ad h. l.; partim, quod
 iste terminus non omnibus hominibus communis est, nostri-
 que homines eum nonnisi raro attingunt. Id vero hodieque
 fieri deberet frequentius, si Deus hunc veluti modum huma-
 nae vitae constituisset. Nam aevi humani ambitus non ex eo
 iudicatur, quod in paucis locum habet; sed ex eo, quod eue-
 nire videmus in plurimis. Atqui centum et viginti annos
 nonnisi paucissimi expleant. Ad verum itaque proxime vide-
 tur accedere vulgaris loci expositio, qua sumitur, Deum
 CXXV annos concessisse hominibus illis corruptis, si forte per
 hoc tempus oratorum diuinorum, maxime Noaci, monitis
 obsequuti, animum emendare, et meliores mores induere
 vellent. Haec sententia non modo in se satis bona et proba-
 bilis est, cum Deus etiam alibi hoc modo legatur egisse;
 Conf. Ion. III, 4. verum etiam id ipsum, quod antea negauerat
 Deus, oratores suos aeternum h. e. semper in corrigendis ho-
 minibus frustra laborare debere, eam postulat et quasi flagitat.

Bene



Bene iam antiqui interpretes Chaldaici, ONKELOSVS et IO-NATHAN, sic reddiderunt hunc locum, quos vt Iudaici interpretes plurimi sequuti sunt, ita etiam Christianorum pars maxima hanc sententiam amplexa est. Similis est formula, qua de Hierosolymis *Dominus* vtitur apud Lucam Cap. XIX, 42. vbi ἡμέρα eodem fere modo dicitur. Cum igitur Deus in monendo et corrigendo genere humano vsus sit, vt paullo ante vidimus, oratorum quorundam ministerio: sine dubio per eos etiam hoc decretum publice proposuit, et cum hominibus communicauit. Vnde loci nostri sententia huc redit: *Deus, quod videbat, oratorum suorum monitis nihil effici, sed perditos homines libidini suae obtemperare, decreuit, et publice iussit edici, se per CXXXV annos hominibus indulgere adhuc velle, si forte per hoc tempus ad meliorem frugem redeant.*

Veniamus ad versiculum *quartum*, in quo nonnulla illustranda supersunt. Ac primo quidem satis constat, obscurius esse nomen כפילים, de quo interpretes omni tempore praeceperunt varie, vt, si iam vellemus eorum opiniones persequi, facile possemus copiosam disputationem inchoare. Nobis autem a vero proxime abesse videtur eorum sententia, qui existimant, indicari hoc verbo *homines robustos et magnae molis, qui virium fiducia indulti, in alios saeuirent, putarentque, iis omnia licere, qui plurimum viribus possent.* Huic expositioni primo quidem ipsa notatio fauet; nam verbum כפל dicitur de irruentibus latronibus hostibusque, qui vi aliquid rapiunt; vid. Iob. I, 15. Ios. XI, 7. Hoc etiam bene vidit *Aquila*, qui ipsam, vt solet, verbi originem indicans, hunc locum reddit: οἱ ἐπιπίπτοντες ἦσαν ἐπὶ τῆς γῆς, *grassatores in terra erant.* In quo non modo hebraici verbi vim religiose expressit, sed vsum etiam graecum tenuit. Graeci enim

enim verbum ἐπιπίπτειν etiam de iis dicunt, qui vi aliquem adoriantur. Sic THUCYDIDES L. VII, Cap. 29. ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, inquit, τῇ κύλει προσέκειτο, ἕστη μεγάλη, καὶ αἰετῶν, ἀφολάκτοις τε ἐπιπεσόν. Manifestius hanc potestatem hebraici verbi exposuit Symmachus, qui βιαίως interpretatus est, *homines feroces et truculentos*. Atque sic etiam Alexandrini interpretes, quos Theodotion secutus est, intelligendi videntur. Nam graecum verbum γίγαντες, quo vtuntur, non tantum indicat *homines inusitatae magnitudinis*, quanquam et hos; sed maxime significat *violentos et saeuos, iuris et ipsius Dei audaces contemptores*. Tales fuerunt, quos antiquitas graeca finxit gigantes ^{k)}; et IOSEPHVS, qui in explicando hoc verbo sequutus est Alexandrinorum auctoritatem, hos gigantes dicit fuisse ὑβριστὰς, καὶ παντὸς ὑπερόπτας καλῶς, διὰ τὴν ἐπὶ δυνάμει πεποιθήσιν. ὅμοια γὰρ, haec enim addit, τοῖς ὑπὸ γιγάντων τετολιμῆσθαι λεγομένοις ὑφ' Ἑλλήνων, καὶ ἕτοιμα παραδιδόναι. Atque tales fuisse, etiam illud suadet, quod Moses paucis interiectis dicit, v. 11. γῆν ἠλεθητην, terra maderat caedibus, vt formula vtar, quam in re simili adhibuit OVIDIUS, *Metam.* L. 1, v. 149. 50. Nec tamen existimauerim, *inusitatae magnitudinis* notionem prorsus deserendam esse in explicando verbo כְּפִלְפִלִים. Etenim etiam hanc vim ei subesse, manifeste docet locus Num. XIII, 32. vbi כְּפִלְפִלִים dicuntur כְּפִלְפִלִים, qui corporum proceritate Israelitas longe superauerint. Fuisse autem etiam post diluuium

k) Inter ea, quae doctores quidam veteris ecclesiae graecae de his gigantibus praeceperunt, notanda sunt maxime, quae tradit EUSEBIUS Praeparat. Euangel. L. VII. sect. 8. qui, quamquam videtur rem in medio relinquere, eos tamen dicit fuisse *nebulones violentos et sacrilegos*. οὗ τε πάντων, inquit, ἀνά σῶμα θρυλλούμενοι γίγαντες, καὶ εἰς δέσπον βοιωμένους θεομαχίους ἀδούσις καὶ δυσερέσειν ἐγγχερήμασιν ἀπειργάζοντο.



luuium homines, ingenti corporis mole insignes, allatis librorum sacrorum testimoniis, bene docuit THEODORETUS in *Quaestionibus, Quaest. XLVII.* Plurima vero hac de re con-
 gessit CALMETVS ¹⁾, qui quanquam admiscet multa, e fabulis et rumoribus incertis petita, hoc tamen effecisse videtur, fuisse olim multos, qui corporum proceritate et viribus longe superarent vulgarium hominum imbecillitatem. Videtur itaque Moses dicere, *genus humanum eo tempore multos habuisse, qui non modo ob corporis magnitudinem plurimum pollerent robore; sed etiam viribus suis abuterentur ad opprimendos et vexandos reliquos.* Obseruat autem Moses, istam feritatem nulla re coerceri potuisse et emolliri. Nam connubia eorum, qui essent religione imbuti, cum puellis profanis minime habuisse hanc vim, vt morum emendatio quaedam efficeretur; sed hos, qui talia matrimonia contraxerint, progeniem edidisse aequè vitiosam. Hanc enim esse putamus sententiam verborum: *וגם אחריכֵן אשר יבאו בני האלהים אל כנית האדם וילדו להם*. Ex quo intelligi potest, his ipsis coniugiis, quae videbantur aliquam vtilitatem ad conferuandam propagnandamque religionem habere posse, sensim etiam reliquam generis humani partem esse corruptam, et a virtute pietateque maiorum degenerasse. Quae autem paullo ante de notione nominis *נפילים* disseruimus, ea confirmantur his, quae Moses addit in fine huius versiculi. Dicit enim *המה הגברים אשר מעולם*. Nam *גבור* non semper in *bonam partem* accipitur, *de viro forti*, qui sit ad gerendas res magnas aptus; sed saepe etiam vsurpatur *de hominibus violentis, oppressoribus, latronibus.* Hoc manifeste docet consuetudo loquen-

1) In libro *Biblishe Uebersuchungen*, qui MOSHEMI praefatione et observationibus auctus et castigatus prodit, Tom. I. Commentat. II. pag. 48. sqq.

loquendi Syrorum, Chaldaeorum et Arabum; Conf. quae hac de re differuerunt Ill. MICHAELIS in *Spicileg. Geogr. Hebr. exterae post Bochartum* pag. 213. sqq. et SCHVLTENS ad Iob. XXXVI, 9. Loci autem librorum sacrorum, Pf. LII, 3. Genes. X, 9. et I Chron. I, 10. idem confirmare videntur. Dicit igitur Moses: *hi sunt gigantes illi et latrones vetusti*. Nam formula אשר מעולם, omnino antiquos significat, et sic saepe legitur; vid. Ios. XXIV, 2. Ier. V, 15. Luc. I, 70. Hos autem vetustos gigantes appellat etiam אנשי השם *homines celeberrimos, qui magnum sint adepti nomen*, siue, vt cum EUSEBIO loquar, οἱ πάντων ἀνὰ σῶμα θευλλοῦμενοι, *qui omnium ore celebrentur*. Solent enim Hebraei שם de fama dicere saepe; vid. Ies. LXIII, 12. Iob. XXX, 30. cet. Qui vsus etiam in graeco verbo ὄνομα, et Latino nomen dominatur, vt fatis constat. Docet autem hic locus, Mosē tangere voluisse et breuiter narratione vera confutare aliarum gentium fabulas ac Θεογονίας, quarum erat magna multitudo, et ingens varietas. Nam cum de magnitudine et feritate antiquorum istorum hominum rumor quidam ad omnes gentes dimanasset, qui sensim, vti fit, augebatur varie, et studio illo impetuque mentis humanae, quo ad mirabilia fertur, vehementer corrumpebatur: breuiter hic voluit Moses antiquam veritatem vindicare et restituere. Negat enim, celeberrimos illos heroes et gigantes *monstra* fuisse, miro modo procreata, et communis hominum naturae expertia, vt multi temere fingant: *sed homines fuisse vulgari ratione generatos, pessimos autem et impios*. Quare PHIL^m) non male obseruat,

C 2

Mosē

m) in libro, qui inscribitur, περί γιγάντων Ἰωσῆ τῆς; inquit, τὰ παρὰ τοῖς ποιηταῖς μεμυθευμένα περί τῶν γιγάντων οἰεῖται νομοθέτην ἀντίτεσθαι; πλείον ὅσον δεσηκῶτα τῷ μυθοπλάσειν, καὶ τοῖς ἀληθείας ἵχθειν αὐτῆς ἐπιβαίνειν ἀξίοντα. — Belle somniat de istis gigantibus, quisquis denum sit



Mosen minime fauere fabulis, quas de gigantibus finxerint poetæ, sed voluisse obscuratam veritatem in lucem protrahere.

Sequitur nunc, *vt mores generis humani ante diluuium breuiter notemus, Mosis narrationem sequuti*, cuius sententiam hactenus exposuimus. Sunt igitur *tria*, quæ Moses vituperat, et quæ non poterant non efficere generis humani interitum. Primo quidem *ad libidinem proni erant* *hinc aetatis homines*, eiusque mali vis videtur fuisse tanta, vt matrimonii sanctitas violaretur, ac sensim penitus euerteretur. Coepit autem hac labe primum se contaminare Caini progenies, atque si IOSEPHO credimus, Cainus ipse tantæ corruptionis auctor fuit; negat enim IOSEPHVS *), poenam, a Deo ipsi inflictam, vim aliquam ad emendandum pessimi hominis animum habuisse; eum potius eo progressum esse, vt voluptates omnis generis indulgeret sibi, quamquam id saepe fieret cum iniuria eorum, qui cum ipso habitarent. Atque si etiam IOSEPHI auctoritatem hac in re vellemus contemnere, hoc tamen certum est, et ab ipso Mose memoriae proditum, Lamechum, qui et ipse a Caino genus ducebat, fuisse polygamiae auctorem, Genes. IV, 19. quæ res erat mali exempli, ac sine dubio etiam alios, vt sit, ad perfringenda matrimonii vincula impulit. Sic etiam intelligi potest, quomodo sensim hæc corrumpi potuerit stirps Caini, vt, sublato omni pudore, coniugii sanctitatem rideret, et vnice obsequeretur foedæ libidini

*) sit auctor fragmentorum, quæ sub ENOCHI nomine circumferuntur, I. I. Cap. 9. *περί των Γεργύσεων*. Is enim putat, malos daemones fuisse hos gigantes, qui prognati fuerint ex isto angelorum cum mulieribus commercio. Vid. Fabricius l. I. pag. 195.

*) *Antiquitat. I. I. Cap. 2. §. 2. ἡ ἐπὶ νεφελῶν τὴν κλάσιν ἔλαβεν, ἀλλ' ἐπ' αὐτῆσι τῆς κακίας, ἠδονὴν μὲν πᾶσαν ἐκπορίζων αὐτὰ τῶ σώματι, καὶ μετ' ὑβρείων τῶν συνόντων θεοὶ ταύτην ἔχουσιν.*

bidini. Nec contineri se coercerique passa est huius mali vis, sed sensum etiam meliorem partem generis humani infecit, ut Moses diserte tradit, ac tandem dominata est per omnes hominum familias, si a Noaci filiis discesseris, qui cum patre pueros se feruarunt, et intacti manserunt. Haec etiam confirmantur iis, quae de moribus antiquissimorum hominum Christus ipse docet. Matth. XXIV, 37 - 39. et Luc. XVII, 26. 27. Etenim hi loci non modo hoc demonstrant, istos homines, voluptatibus intentos, nihil curasse, nisi hoc, ut libidines suas explerent: verum etiam hoc ipsum, quod *de vaga Venere* diximus, continere videntur. Nam verba ἐγάμεν, ἐξεγαμίζοντο *de stupris et impotenti lasciuia* saepe dici, idque fieri *verecunde*, bene obseruarunt et exemplis docuerunt ad hos locos interpretes *). Quae interpretatio etiam iis accommodata est, quae in utroque loco adiecit Dominus, ἡσθηον, ἑσθων, et quae et ipsa per χαιρετισμὸν *de luxuria* dicta sunt.

Cum hac lasciuia coniuncta fuit *summa iniquitas et crudelitas maxima*. Moses enim manifeste loquitur de latronibus saeuis, qui, virium ac fortitudinis fiducia inflati, putarent, nulla sibi iura scripta esse, et impune alios opprimerent. Quanta autem fuerit istorum temporum calamitas, etiam ex eo colligi potest, quod v. 11. adiecit Moses, *terram fuisse caedibus plenam*; quae formula manifeste indicat mores istorum hominum immanes, et crudelia facinora. Nec praetermittendum illud est, instrumenta saeuitiae istis hominibus minime defuisse. Nam Moses ipse tradit Cap. IV, 22. *aeris et ferri usum* aequales suos docuisse Thubalkainum; multumque probabilitatis habet nonnullorum interpretum sententia, qui existimant, carmine illo difficillimo et antiquissimo, quod Cap. IV, 23. 24. legitur, cani celebrarique *primum gla-*

C 3

*) Vid. in primis WOLFII Curae ad Matth. XXIV. 37.



gladium^{p)}). Ita certe comparata sunt Lamechi verba, vt latronis animum prodant, qui ad trucidandos alios sit promptissimus. Videntur itaque homines istius saeculi feroces inuentis Thubalkaini ita abusi esse, vt saeuirent in alios, arma sibi conficerent, et vi omnia miscerent.

Quod denique *de contemptu oratorum diuinorum* addit Moses, id satis demonstrat, *istius aetatis homines etiam impios fuisse, et audaces Dei contemptores*. Nam postquam semel veluti bruta suas tantum cupiditates sequi coeperant, piorum gens parua, quae Deum adhuc coluerat, aequae ac malorum turba ingens omnem sensim eiurauit religionem. Hinc etiam, qui ipsis nascebantur liberi, parentibus erant omni ex parte similes, eorumque, postquam adoleuerant, diligenter inhaerebant vestigiis. Quem diuini Numinis contemptum etiam Petrus I. epist. III, 20. istis hominibus tribuit, appellans eos *ἀπειθήσαντας* h. e. tales, qui oratoribus diuinitus missis nullam habebant fidem, qui eos saepe adhortati fuerant, vt redirent ad frugem, ne Deus in impietatem eorum grauiter animaduertere cogeretur. Verum isti deridebant haec sapientissima consilia, negantes, Deum esse, qui res humanas curet. Talem fuisse eorum animum, etiam Christi verba indicant, a nobis iam allata, quibus describitur summa securitas, quae nec monitis nec minis commoueatur, diuinas autem poenas non pertimescat. Quare vocantur isti homines etiam a Iuda v. 14. *ἀσεβείς*, homines impii atque profani, vt iam antea Petrus, quem imitatus esse videtur Iudas, in epist. secunda Cap. II, 5. *νόσμον ἀσεβῶν* dixerat. Illa Dei contemptio qualis fuerit et quanta, Iudas eodem loco vberius demonstrauit. Af-
fert

p) Hanc expositionem copiose ornauit S. V. HERDER in libro: *Aelteste Urkunde des Menschengeschlechts*, tom. II. part. IV. p. 174.

fert enim Enoci, aequalibus suis poenas diuinas praedicentis, verba, qui diserte dicit, cum ob ingentia scelera, quae commiserint, plectendos esse homines, tum *περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, ὧν ἐλάλησαν κατ' αὐτῆ ἀμαρτολοὶ ἀσεβεῖς*. Ταῦτα *σκληρὰ*, quae in Deum loquuti dicuntur, sunt *conuicia improba*, quibus Deum lacerauit ipsorum insania. Usurpatur enim illud verbum *de acerbitate in dicendo*, qua aliorum fama laeditur, et contemptus significatur. Sic IOSEPHVS cum fratribus suis ἐλάλησε *σκληρὰ*, cum eos homines suspectos appellaret, et minis terreret, Genes. XLII, 7. 30. add. Prou. XV, 1. ibique *Aquila*, qui λόγον *σκληρῶν* dixit, quem Alexandrini *λυπηρῶν* reddiderant. Constat igitur ex hoc Iudae loco, homines antiquissimos eo audaciae et impietatis esse progressos, *ut conuiciis adeo peterent Deum*, suumque contemptum non diffimularent, sed verbis et factis luculenter significarent. Apparet autem ex his, quae nunc breuiter disputauimus, expositionem loci Mosaiici, quam supra dedimus, accurate conspirare cum iis, quae Noui Testamenti auctores, et ipse adeo Dominus de moribus antiquissimorum hominum docuerunt.

Videndum iam est, vtrum haec omnia sint ab ingenio humano et istorum temporum indole aliena. Quodsi igitur naturam mentis humanae, modumque, quo excolitur sensim et conformatur, non perfunctorie consideramus, haud obscure patet, *omnem cognitionem humanam initia capere a rebus, quae in sensus incurrunt*, idque propterea, quod res istae, simulac sensuum beneficio vti discimus, nobis statim se offerunt, et cum vi tum suauitate sua vehementer nos commouent atque alliciunt. Sic rudem videmus infantem primo ad res extra se positas attendere, quas sentit esse iucundas.

Atque



Atque haec mentis nostrae ad res extrarias attentio, si est naturae conueniens, nec transilit, quos ratio ei signauit, limites, ad naturam nostram ita pertinet, vt, si abesset, virtute caremus praecipua. Remissior contra esse solet ac tarda paucorum hominum, qui in regione satis ampla, nullo fere societatis vinculo iuncti degunt, attentio. Quando enim sunt adhuc pauciores, et sufficiunt ad vitam sustentandam, quae terra sponte prodit, alimenta, omnem fugientes laborem pauca tantum nosse cupiunt, nec sunt de querenda exquisitiori viuendi ratione anxie solliciti. Intactas ergo, quod mirum non est, relinquunt artes omnino omnes, quoniam nullam sentiunt causam, nullamque necessitatem, cur ad res vtilis inueniendas impellant animum, suoque vtantur ingenio. Crescente vero eorum copia, incipiunt sensim carere, quibus affluebant ante. Vnde fit, vt arctius coniuncti in societates congregentur ciuiles. In hac vero conditione positis quaerenda sunt plura, quibus se suosque alant, vitae praesidia, excogitandae artes, exercendumque ingenium, vt habeant, vnde viuere possint. Et quo magis crescit hominum multitudo, eo magis augenda est alimenta quaerendi diuersitas, et acuitur artes colendi solertia. Colitur nunc ager, aluntur pecora, inueniuntur, quae vitam reddere possint beatiorem. Verum cum mens animusque arctissimo cohaereant vinculo, dici non potest, quam vim habeat ad augendos nimium appetitus animi hoc, si mens vnice occupata sit iis, *quae sensus suauiter afficiunt atque titillant.* Et quo impensius augetur hominum scientia, quo studiosius tractantur artes et quaeruntur diuitiae, eo facilius est ad vitia quaelibet aditus. Excitantur in hominibus infinitae cupiditates, quae nisi subiiciantur rationis imperio, ad violentiam tantam prorumpunt, vt summa existat morum peruersitas. Etenim si cogni-



cognitio nostra tenuis est adhuc et exigua, fieri non potest, ut cupiditates nostrae assequantur vim eam, quam adipiscuntur, si multarum rerum nobis comparauimus notitiam et usum. Ignoti enim nulla fertur esse cupido. Iam facile intelligitur, quomodo Moses dicere possit, *eo, quod aucta fuerit in dies hominum ante diluuium uiuentium copia, factos esse eorum mores adeo dissolutos, ut feminas, quas cumque suaderet amor, corrumpere.*

Quod igitur primo *lasciuiæ vitio* maxime dediti fuerunt, eius rei causâ inesse videtur in eo, quod cupiditatibus reliquis violentior sua natura esse solet ad res Venereas propensio. Quid quod ad excitandam eam augendamque non parum conferebat coeli, sub quo uiuebant, clementia, et regionis in qua habitabant, fertilitas. Videntur enim isto tempore Asiae partem mediam, eo nomine, ut constat, satis celebrem tenuisse. Habebant itaque grauissima irritamenta malorum, in his cibi potusque abundantiam. Vnde verosimile est, eos, cum abuterentur regionis suæ beneficio, largiusque sese inuitarent cibo ac potu, ad voluptatem exercendam redditos fuisse propensiores. His enim ad lasciuiam incitari vehementer homines, quis est, qui neget? Et quam consentaneus sit omnino *naturæ hominis barbari* intemperatus Venereis usus, nemo negabit, nisi quem plane fugiunt mores gentium barbararum, quas nuper demum, in insulis maris illius magni, versus Austrum siti, indagauit sæculi nostri sollertia plane mirifica. Qui enim insulam, quæ dicitur *Tahiti*, adierunt *Angli*, eius incolæ dicunt se reperisse rebus venereis adeo intentos, ut non tantum cum suis corpus misceant vagæ libidini obsequuti, sed etiam, sublato omni pudore, peregrinis sui copiam statim faciant feminae plurimæ, aegre ferentes, si quis forte istam beniuolentiam contemnat. A prima statim pueritia



pueritia lasciuus adfuesunt saltationibus scenicis, facrisque Veneris initiantur tenerae adhuc virgines, annosque vix natae duodecim⁷⁾. Inueniuntur etiam apud eos societates quaedam sceleratissimae, ex utroque sexu conflatae, quae Venerem communiter hac lege exercent, vt, si qua forte Veneri sacrata virgo concipiat, infantem recens natum interficiat, atque ita scelerare se contaminet, quod a natura quam maxime abhorret, estque longe turpissimum atrocissimumque. Neque apud *Tahitios* solum summae lasciuiae extare documenta, verum et alias gentes barbaras, nominatim *insularum Marianarum* incolae, ad priores proxime accedere, traditum est⁸⁾. Tantum enim abest, vt homines isti legitima ineamt matrimonia, vt mercede conducant puellas, aut emant a parentibus, ac deinde in domibus hoc consilio conductis, delitescant cum iis quam turpissime. Videmus itaque, hodieque esse gentes quasdam barbaras, quae eodem fere, quo homines ante diluuium, modo totae se dicant turpi libidini. In hac igitur narrationis Mosaeicae parte nihil est, quod a natura animi humani dici possit alienum.

Nec puto, fore, qui negent, *crudelitatem aequae lasciuiae istorum temporum feritati accommodatam esse*. Tam arcto enim haec vitia cohaerent vinculo, vt lasciuiae fere semper comes sit violentia. Id fit propterea, quod homines

7) Quam perditum sint huius tam parum excolti populi mores, vel inde intelligitur, quod tempore *Periclis*, quo artes summam apud Athenienses attingerant fastigium, morumque coeperat invalescere mollities, vix lasciuioribus saltationibus scenicis a prima pueritia operam dabant Athenienses. Vid. *ARISTOTELIS Nub.* 950. lqq.

8) Vtriusque gentis barbarae mores, optimorum auctorum testimoniis vsus, accurate descripsit, multisque observationibus doctis illustrauit *MEINERIVS* in *Miscellaneous philosophicis*, Part. I. pag. 261. lqq.

nes voluptarii, maxime si viribus pollent, suntque reliquis robustiores, leuissima saepe de causa irascuntur, nulla autem re magis excandescunt, quam cum a Veneris vsu quocumque demum modo arcentur. Id enim tam aegre ferunt, vt cum his, a quibus se laesos putant, conferant manus, et hac de causa saepe magnae gentes bella gessisse perhibeantur. PERODOTVS quidem statim ab initio historiae, quam reliquit, *raptus* multarum feminarum commemorat, antiquo tempore factos, atque hanc iniuriam, quae profecto magnam similitudinem habet cum iis, quae homines violenti ante diluuium fecisse videntur, causam fuisse tradit bellorum, quae sint a Graecis aduersus barbaros gesta. Iam igitur, cum homines isti ante diluuium magna corporis mole laborarent, tantaque esset apud eos matrimonii vilitas, vt nullam ducerent vxorem legitimam, sed promiscue vterentur feminarum multitudine, facile fieri poterat, vt, quae huic placerent feminae, easdem amaret et ille, et cum neuter cedere vellet, rixae orirentur cum acerrimis saepe coniunctae caedibus. Ac solet profecto *ipsum robur corporis* homines impellere ad facta crudelia, et sensum eo perducere, vt in prosternendis aliis gloriam quaerant, velintque vires, quibus instructi sunt, exferere et ostentare. Latrones istius temporis etiam armis instructi erant; etenim metallorum aliquem vsum, nominatim ferri, iam inuenerat humani ingenii sollertia; vid. Cap. IV, 22. quae res magnam habuisse videtur vim ad augendam istorum hominum effrenatam ferociam. Coeperant etiam homines vrbes condere, et aliquo vti *imperio*; quod Moses Cap. IV, 17. commemorat. Verum et hoc locum fecisse saeuitiae, multaque iniqua facinora peperisse videtur, quoniam, vt cum LVCRETIO loquar, (L. V, v. 1122. 23.)



*ad summum succedere honorem
Certantes, iter infestum fecere viai.*

Solent praeterea gentes barbarae atrociniis ac violentia plerumque ita delectari, ut omni tempore fuerint, quae raptò viuèrent. Hanc consuetudinem etiam vetustissimis Graeciae populis THUCYDIDES tribuit, (l. l. C. 5.) et causam addit: *ἐκ ἔχοντός πο αἰχύνῃν τῆς τῆ ἔργῃ, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μάλλον.* Ex his omnibus facile intelligitur, crudelitatem, quam Moses fuisse dicit in antiquissima hominum progenie, non abhorreere ab indole humana, vel istorum temporum natura.

Denique et hoc videtur menti humanae istisque temporibus consentaneum, *regnasse ante diluuium summum Numinis omnisque religionis neglectum*, quippe qui ex hac morum vitiositate velut e fonte fluxisse videtur. Cum enim genus illud hominum omne studium, omnemque cogitationem ad res, quae sensus delectarent, conferret vnicè, totumque se mergeret voluptatibus inuenustis, qui poterat aliter fieri, quam ut omnis de Deo notitia, cultusque diuini reuerentia in animis, tanta labe infectis, penitus extingueretur? Quid quod in se iam satis exilis et imperfecta fuisse videtur, quam vetustissimi homines ante diluuium de Deo habebant, notitia, ab Adamo ad eius posteros per annos multos ore propagata. Sed postquam grassari coepit morum perniciès, non poterat non ea sic corrumpi, imò et euanescere prorsus, ut, si quem Deum esse adhuc concederent, otiosum tamen et res humanas prorsus negligentem sibi fingerent, ideoque putarent, licere sibi omnem abicere religionem, et quacuis scelera impune committere. Hinc factum est etiam, ut viros diuinos, quos

quos Deus mitteret ad corrigendos eorum mores turpissimos, omni afficerent contumelia, eorumque praeclara consilia respuerent. Fuerunt quidem aliquamdiu nonnulli, qui Deum pro ingenii sui viriumque imbecillitate colerent, sed cum et hi iusto familiarius vterentur iis, qui iam omnis religionis erant expertes, facile horum prauitate infecti sunt ipsi. Serpunt enim vitia, et in proximum quemque transfiliunt, et contactu nocent. Ex his intelligitur, quomodo tandem praeter Noa-cum ejusque paruum domum omnium animos inuadere potuerit summus Dei rerumque diuinarum contemptus. Quem aequae minus, quam vitia, quorum ante facta est mentio, abhorrerere a natura gentis barbarae et parum exultae, exemplis doceri potest, tum ex antiquissima, tum e recentiori pe-titis historia. Atque ex hac quidem egregium extat *Kant-schadalium* *) exemplum, qui Deum suum, qui dicitur *κντκα*, tam impotentem stupidumque fingunt, ut et conuiciis eum proscindant, et derideant turpiter. Nulla utuntur reli-gione certa, sed eam pro lubitu mutant, negantes, vllum a se committi posse scelus tam graue, quod minima dignum sit poena. Atque haec impietas pessima communem habet cum ista hominum ante diluuium *ἀσεβειῶν* originem. Tam disso-lutum enim est, quod populus iste barbarus sequitur, vitae genus, ut non contenti sint viri vna vxore, sed tres vel plures ducant, easque leuissima saepe de causa repudient. Et quam exiguum sit castitati apud eos pretium, vel inde apparet, quod nulla re magis commendatur virgo, quam si possit osten-dere, se habere insignem amatorum copiam, artemque amandi callere optime. Quid quod socrum certa manet a genero repre-hensio, si in defendenda custodiendaque filiae suae virginitate

D 3

nimis

*) Vid. MEINERSII l. l. pag. 164. sqq.



nimis seuera fuerit atque sollicita. Et habet etiam haec natio
 illud cum *Tahitiis* et *Marianis* commune, vt abhorreant fe-
 minae a pariendi liberosque educandi negotio, et nondum
 natos interficiendos curent infantes. Inde patet, πολυθεότη-
 τος labem cum insecitia ac barbarie non ita coniunctam esse,
 quin ad ἀσέβειαν interdum delabi possint gentes incultae. Et-
 si enim plerumque *superstitioni* se dederunt, et plures Deos
 finxerunt, quod nemo negauerit: interdum tamen et *contra-*
riam viam tenuit ingenium humanum, et incidit in *contem-*
tionem omnis religionis. Quod cum Moses tradat, ante di-
 luvium factum esse; equidem non video, cur scriptoris diuini
 auctoritas hac in re sit eleuanda et minuenda.

Superfunt etiam alia ex antiquissimis temporibus incul-
 tarum gentium exempla, quae cum moribus perditissimis con-
 iunxerunt *impietatem pessimam*. Atque inter scriptores hu-
 manos, qui aliquam fidem merentur, tale nobis fuit exem-
 plum PLVTARCHVS *) qui vetustissimos Graeciae populos
 narrat habuisse pessimos nebulones, qui efficerent, vt nemo
 sine vitae periculo iter facere posset. Ο γὰρ δή, inquit,
 χρόνος ἐκενός ἤνεγκεν ἀνθρώπους, χειρῶν μὲν ἔργοις καὶ πο-
 δῶν τάχεσι, καὶ σωμάτων ῥώμασι, (ὡς εἶκεν) ὑπερφυσίς καὶ
 ἀκαμάτης, πρὸς ἑδὲν δὲ τῇ φύσει χρωμένους ἐπιεικὲς εἶδὲ ὠφέ-
 λιμον, ἀλλ' ὕβρει τε χαιρόντας ὑπερφάνω, καὶ ἀπολαύον-
 τας τῆς δυνάμεως ὠμότητι καὶ πικρίᾳ, καὶ τῷ κρατεῖν, Βιά-
 ζεσθαι τε καὶ διαφθεῖρειν τὸ παραπίπτον. αἰδῶ δὲ καὶ δι-
 καιοσύνην, καὶ τὸ ἴσον καὶ τὸ Φιλάνθρωπον, ὡς ἀτολμία τῆ
 ἀδικίᾳ, καὶ Φίβω τῆ ἀδικεῖσθαι, τοὺς πολλοὺς ἐπαινούντας,
 ἑδὲν οἰαμένους προσήκειν τοῖς πλέον ἔχειν δυναμένοις. Nec prae-
 termittenda sunt, quae poetae, et alii scriptores tam Graeci
 quam Latini, de perditā quadam hominum turba ante dilu-
 uium

*) In vita Thefei, non longe ab initio.

uium suum fingunt traduntque. Nam licet multa e suis admiscerent, imaginibusque adumbrant, quae historica fides nude refert, tamen in eo consentiunt omnes, qui hanc rem attingere, fuisse olim homines *omnis virtutis religionisque expertes*. Quam rem egregie illustrant, quae OVIDIVS^{u)}, ut hoc potissimum utar, de gigantibus suis canit:

*illa propago
Contemtrix superum saenaeque auarissima caedis
Et violenta fuit.*

Ac si quis tandem singulorum hominum mores diligenter inspicere velit, non poterit ire inficias, fuisse omnitempore etiam in magna litterarum luce, qui vitae genus secuti sceleratissimum, omnem tandem religionis sensum exuerent et eiurarent.

^{u)} *Metamorph.* Lib. I. v. 160 - 162. Eadem fere de peruersis hominum vetustissimorum ante diluuium moribus tradiderunt Graecorum et Latinorum permulti, quos affert GROTIUS de *Verit. Rel. Christ.* L. I. §. 16.

AVCTORI CLARISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

Duabus de causis non sine quadam animi mei voluptate publice TE alloquor, VIR CLARISSIME. Primo enim iam per aliquot annos acerrimam diligentiam, quam in colendis bonis litteris, et in comparanda eruditione theologica posuisti, tam perspicue cognoui, ut mihi ipse displicerem, si rem tam praeclaram, mihi que tam iucundam, silentio



silentio praetermitterem. Nam quid potest his, qui alios docere iussi
 sunt, exoptatius contingere, quam si vident, esse, qui contemnant
 plurimorum, qui ad nos discendi causa veniunt, ignaviam, litterasque
 diligant non lucri spe allecti, sed earum incredibili pulcritudine com-
 moti atque incensi. Hunc ego animum in TE semper animadverti, et ve-
 hementer dilexi; eumque, ut puto, satis manifeste declarat hoc ipsum,
 quod iam edis, ingenii et doctrinae specimen — Ego vero etiam pro-
 pterea summopere TE amo, et haec ad TE scribo, quod iam ex ali-
 quo tempore vidi, TE ea doctrina, quam studiose TIBI comparave-
 ris, etiam ad aliorum institutionem praecclare uti posse, et in erudienda
 puerili aetate sollertiam facultatemque demonstrare plane eximiam. Cu-
 ius rei cogitatio mihi propterea longe incundissima est, quod spero, fore,
 ut illa TVA docendi facultas, quae iam primata exercitatione con-
 firmatur, aliquando protrahatur in lucem, et ad plures traducta, repu-
 blicae plurimum proficiat. Quare TIBI hunc diem, et hoc primum do-
 ctrinae TVAE documentum, summopere gratulor, et opto, ut TV
 quidem capias diligentiae TVAE fructus uberrimos, mihi vero contin-
 gat opportunitas efficiendi, ut meus in TE animus indies TIBI fiat
 multo notior atque illustrior. Ita vale, neque amare perge. Scr.
 Vitebergae ipsis Kal. Aug. MDCCLXXXIII.



Wittenberg, Diss., Erg. Bd. 6, 1783/91

ULB Halle

3


003 922 553



5b.







374
1928 K 944
L 97 1183

DE
MORIBVS HOMINVM ANTE DILVVIVM
AD LOCVM GENES. VI. 1-4.

DISPVATIO EXEGETICO THEOLOGICA

QVAM
PRAESENTIE
FRANCISCO VOLKMAR
REINHARD

THEOLOGIAE DOCTORE HVIVSQVE PROF. PVBL.
ORD. PHIL. PROF. PVBL. EXTRAORD.

AD DIEM V. AVG. A. C. MDCCCXXXIII.

ENUMERO EORVM
QVI PRIVATIM SCRIBENDO SE AC DISSERENDO EXERCENT

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
M. CAROLVS FRIDERICVS STEIN.

GRAEFFENHAYNENSIS.

VITEBERGAE,
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL.

1773

5019

